

DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
VERA NOTIONE FELICITATIS.

QUAM

Conf. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,

MODERANTE

*Mag. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

*Eloqu. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. Reg. de Stellæ
Polari, Reg. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquit.
Reg. Societ. Scient. Upsal. &c. Socio;*

PRO GRADU


Publicæ disquisitioni modeste subjicit

JONAS WIKFORSS,
Jemtlandus.

In Auditorie Majori die XII Maji MDCCCII.

Horis p. m. solitis.

*ABOÆ,
In Officina FRENCKELLIANA.*





§. I.

Quamvis vehemens, a summo atque sapientissimo naturæ Auëtore infixum cujusque pectori studium felicitatis suæ promovendæ, arcere omnes homines ab ipso hoc studio obtrectando, aut omnino damnando, debuisse videatur; reperti tamen sunt, etiam inter recentissimos Philosophos, qui, cum multis aliis paradoxis opinionibus atque placitis, miro plerumque orationis quoque ipsius habitu propositis a), defendere instituerunt, felicitatis suæ quærendæ studium;

A

dium,

a) De multis valet hujus generis Philosophis atque Scriptoribus, quod in *Ephemeridibus Literariis Jenensibus*, (*Allgem. Litteratur-Zeitung*) A. 1794 N:o 108 de uno pronunciatur: "Philosophie aus Worten, spitzfindige und fruchtlose Begriffsbestimmungen und Unterscheidungen, sind die Hauptegenschaften, an welchen man alle Producte - - (eorum) erkennen kann." Item quod in iisdem Ephemeridibus alio loco de alio tali scriptore judicatur: "Das ganze besteht aus abstrusen, halbyverdaueten Speculationen, die in einen barbarischen, Philosophischen Tiefinn affectirenden Sprache vorgetragen, sowohl die Vernunft als den guten Geschmack beleidigen."

2

dium, non modo immodicum illud & fallaci via qua-
sitæ, sed omnis omnino, irritum esse, absurdum at-
que illicitum. Quod moderatius alii novæ Philo-
phiæ asseclæ in hanc partem disputatione, id pro mo-
re suo Dn. *Fichte*, cæteris nempe altius evolare cu-
piens, in primis vehementer ursit; qui non modo ad
virtutem hoc pertinere, ut omne prorsus felicitatis
studium abjiciatur, asserit, sed etiam omnem omnino
humanam felicitatem commentum esse absurdum con-
tendit (*Dass die Tugend mit einer Verzicht auf alle Glück-
seligkeit verbunden sey, & Dass alle Glückseligkeit eine
Schimäre sey*) b). Ac ne credas, eum de hujus tan-
tum vitae felicitate loqui (nequaquam illa vel con-
stanti semper, vel mortali cuique integra speranda),
severe prohibet, ne quis vel a Deo, aut in altera vi-
ta, felicitatem exspectet. *Das System*, inquit, *in wel-
chem von einem überfinnlichen Wesen Glückseligkeit erwar-
tet wird, ist das System der Abgötterei und des Cötzen-
dien-*

b) Quam tristis, omnisque expers solatiæ, adeoque humano-
generi vere inimica Philosophia! Quæ impensa tamen a
multis commendatur atque thesauri instar nobis offertur!
Alii miras saepe de felicitate notiones propoluerunt ac
propagare conati sunt; hi, non modo a felicitate quæ-
renda homines avocant, sed & omni spe ejus (vel in
hac vel in futura vita) adipiscendæ, prorsus orbant: no-
va profecto ratio hominum sibi studia, applaustrum atque
admirationem comparandi.

dienstes! Quid de hujusmodi assertis, prima absonis & impiis, judicabit homo sanus atque sapiens? Fatendum vero est, veram horum Philosophorum mentem non semper adeo esse absurdam, ac prae se ferre verba eorum videntur. Amant enim significationibus vocum abjectis consuetis ac solennibus, novas iis (licentia minime probanda c)) affingere, ut formulæ propositionum inde exsurgent prima saltim facie mirabili atque paradoxa insignes, reliquis hominibus, inde scilicet stupefactis, negotium facesfuræ d)! Sic

A 2

no-

c) In notionibus nempe verborum communi usu frequentatorum explicandis, non magis Philosopho quam alii cuncte licet ab usu recepto temere recedere, atque sic turbas literis inferre; maxime ubi res hominibus magni aestimatae, quæque studia, spes, consilia eorum inprimis spectant, simul quasi deprimituntur. Cujusmodi Philosophis merito dicas quod Stoicis, similem olim morem amantibus, exprobravit Cicero: *Hoc est, inquiens, vim afferre sensibus, extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus.* (De Finibus L. II. C. V.)

d) Ipsæ tenebræ hinc oriundæ, id quod mirum primo intuitu videatur, homines ad hujusmodi scita avide amplectenda (a viris sc. profecta magni nominis, auctoritatisque insignis) saepe excitant: plerique non ipsi per se, sed per alios, tanquam tutores & procuratores suos, cogitant! Confirmat idem omnium temporum experientia. Num placita obscura, incomprehensibilia, imo absurdâ, aut paucissimos asseclas aut propugnatores languidissi-

notio Felicitatis ab iis adoptatur inepta atque a reliquo
rum sensu hominum sapientium plane aliena, qua
ad fruitionem tantum *Voluptatis Sensualis* (seu corpo-
ralis?) tota restringitur. Qualem nemo fanus (aflo-
tos & Epicureos erasos in horum numero non po-
nimus) veram parere felicitatem hactenus asseruit.
Hujus igitur vocis genuinam probatamque communi-
ter hominibus sapientibus notionem, ab illata illi te-
mere infamia & tentata ejus depravatione ut vindi-
caremus, has pagellas exarare placuit; quibus si ad
Commilitonum animos contra tristis consilii contagio-
nem muniendos conferre valuerimus, voti nos com-
potes pretium operæ fecisse lætabimur.

§. II.

Narratur de *Socrate*, eum a quodam interrogatum, annon Regem Persarum (qui omnes eo tempo-
re potentia & divitiis superabat) felicem judicaret?
respondisse, se affirmare hoc non posse, quod ne-
sciret quam sapiens atque honestus ille esset. Quis
non

mos invenerunt? Minime. Aescite vir ingeniosus: *Es gehört keine Anstrengung, kein tiefer Philosophischer Geist dazu, um das Unbegreifliche zu begreiffen* (ut purant nempe qui talia adoptant). Hier ist einer immer so weit wie der andere. BRANDES Ueber die Weiber (Ed. I.) pag. 171,

5

non videt, virum summum hoc responso Felicitatis
ideam a bonorum extenorū fruitione, in qua plu-
rimi stulte illam ponerent, abductam, ad animi inpri-
mis statum optabilem atque gaudii solidi constantis-
que retulisse? Rudes nempe homines, oculos non nisi
ad ea quae exteros efficiunt sensus convertentes, cum
in rerum affluentia, quae ad hos demulcendos perti-
nerent, summam votorum suorum ponerent, atque
eas maxime voluptates (earumque conciliandarum
instrumenta) quae sensu quodam intentiore & exquisi-
tiore delectarent, ad felicitatem gignendam conferre
putarent; sapientiores hunc animis eximere errorem,
mature instituerunt, atque ab inani non minus quam
perniciosa illos revocare opinione conati sunt: bona
quae venarentur opinata, docentes non modo valde
esse obtentu incerta, inconstantia, ambigua, fastidio
obnoxia, inter se saepe pugnantia, nostro haudqua-
quam semper subjecta arbitrio, neque nostris viribus
pro lubitu vel comparanda vel tuenda, sed etiam sae-
pe fallacia, cum malis atque doloribus (eadem vel
comitantibus vel consequentibus) conjuncta acerbis,
brevem voluptatem longe superantibus. Unde etiam
neminem ante mortem (respectu nempe horum ex-
teriorū bonorum) posse felicem recte prædicari,
monuerunt e). Neque attentum rerum observatorem

A 3

fu.

e) Notum est Solonis hac super re cum Crœso colloquium;

6

fugere potest, vitæ felicitatem humanæ magis quasi ex summa effici sensuum gratorum minus exquisitorum, qui plerisque contingere & solent & posunt, vitamque suam mortalibus reddunt non modo non molestam, sed etiam caram, quam ex copia voluptatum (quibus hoc nomen præcipue tribui solet, quæque Philosophos & homines severiores illi infestiores redditiderunt) intentiorum, quarum longiorem & non interruptam continuationem naturæ humanæ indoles ferre non valet f). Unde ipsi Epicurei cordatiores, non iis præcipue voluptatibus litandum esse, aut ex iis solis felicitatem metiendam docuerunt, quæ sensibus vehementius blandiantur, quarumque immoderior usus pœnam naturalem, vel defatigationis vel satietatis atque fastidii, vel valetudinis læsæ, provocat & comitem habet.

§. III.

de quo conf. HERODOTUS L. I. C. 30 - 33. & PLUTARCHUS in *Solone*. Instabilem nempe vitæ humanæ conditionem, ne ante obitum calculos de felicitate ejus tuto subducere liceret, obstare judicavit.

f) Cfr. SEARCH (TUCKER) *Light of Nature* Vol. I. Ch. XXII & Vol. III. Ch. XXIX. Ex his etiam patet, minora incomoda quæ nobis in vita obveniunt, si multo pluribus majoribusve superantur bonis, felicitatem nostram destruere, censeri non debere. Cfr. CICERO de *Familibus*, L. V. C. 30 sq.

§. III.

Ubi porro simul memineris, hominem non tam
tum corpore constare, sed etiam animo, sede perce-
ptionum nostrarum propria, ejusque igitur *internam*
tranquillitatem & stabilem oblectationem g), per sapientiam
(quæ sine dotibus mentis perficiendis intelligi
nequit) atque virtutem, cum bona conscientia semper
conjunctam, unice obtinendam, non posse non præci-
puam constituere optatissimi illius status partem; fa-
cile videas, quam inanem sectentur umbras, qui si-
ne hac accidente dote felicitatem vel intelligi, mul-
to minus haberi & possideri posse, arbitrentur. Quam-
vis enim virtus adeo acerba non sit, ut (ad Fanati-
corum, Monachorum & horum rationi proximorum
quorundam opinionem Philosophorum) omnem prorsus
eliminet vel curam diligentiores vel voluptatem
corporis h), honestati nempe congruentem, atque tem-
pe-

g) *Animi tranquam tranquillitas, quam appellant egyptianas*
- - *ea ipsa est beata vita.* CICERO de *Finibus*, L. V. C. 8.

h) Inter vere inutiles lites, in logomachiam saepe abeuntes,
illa est referenda, quæ & olim inter Philosophos, maxi-
me Peripateticos & Stoicos, ferbuit, & hodieque passim
resuscitatur: An in Summo Bono definiendo, ulla volu-
ptatis (in primis corporeæ) haberi ratio debeat? De qua
cfr. CICERO de *Finibus*, in primis L. IV. coll. L. V. C.
14. *Quis in memoriam revocans, hominem esse animal*

perantiae & prudentiae praeceptis parentem, quem
sancte custodire modum sola virtus & sapientia doce-
re valet (quarum detrectato aut fracto imperio, fru-
stra se illa recte fruituros homines sperant i)) ad
men-

& corpore constans & animo, dubitet, quin utriusque in-
tegritas ad ideam felicitatis plenam pertineant? Unde
CICERO recte, loco indicato, summam appetendorum de-
finit, *quod cumulatur ex integritate corporis & ex*
mentis ratione perfecta. Stoicorum contra (& omnis ge-
neris fanaticorum) ratio, qui corporis ejusque sensatio-
num ut & rerum externarum nullum omnino in felicitate
hominis constituenda haberi respectum jubent, humanæ
naturæ repugnare, nemo vel ad domicilii, (in quo colla-
ti sumus) conditionem atque quasi apparatum, quo instru-
cta terra est, rerum omnium ditissimum, non modo ad
conservationem nostram, sed etiam ad delectationem per-
tinentium, animum attendens, mox non animadvertisit, Au-
torem nostri benevolum atque benignum, usu voluptatis
innocuae, honestae, moderate & prudentis (qui neque a
rebus agendis gravioribus nos cohibeat, mentem nimis
occupando, neque animi corporisque vires debilitet) plane
interdicere hominibus haud voluisse? hilaritatem & gau-
dia illis nequaquam invidisse? Quibus voluptatibus ut
frui possemus, sensus quoque iis percipiendis accommo-
datos nobis dedit. Quæ omnia consilium suum, adeoque
quid nobis liceat, apertissime demonstrant: Ac verum *men-*
tis usum, sensibus nostris præfectæ ac in omnibus nostris
actionibus consulendæ & sequendæ, simul edocent.

i) Unde ejus studium, vel ad hujus vitæ felicitatem pari-

mentis tamen statum, ideam felicitatis maxime esse referendam, & ex eo in primis aestimandam, nemo non animadvertisit. Quis enim nescit, quam potens in ipsos sensus mens exerceat imperium, quorum perceptiones non modo augere aut debilitare, sed etiam aliquando (adscito maxime Phantasiæ cupiditatumque iis adversarum auxiliis) attentionem conatumque omnem ad metam aliam, enixe placentem, convertendo, fere suffocare valet? Cui ignotum est, quam languide animus tristitia aliqua affectus voluptates vel summa arte atque studio apparatas sentiat? Quam alacriter homines labores molestissimos subeant, acresque tolerent dolores, quando bonum aliquod, magna se factum, persequuntur? Quantos in hoc genere conatus non tantum ambitio, avaritia &c. sed etiam officiorum, ac maxime religionis sensus, pepererint? Quanta martyrum constantia, quanta fanaticorum & superstitionum esse soleat pertinacia? Quantos cruciatus Indorum Fakiri &c. sponte susceperint sube-

B

un.

endam tanti est momenti, & declarationes omnes de via ab illa descripta, omnes exceptions a præceptis ejus sequendis sibi permisæ (quæ vim ejus diminuunt, imperium ejus debilitant & habitum recte agendi destruunt) adeo sunt periculose, noxae atque stultæ! Quare SENECA scite de sapiente: *Fiducia ejus, inquit, non sine scientia sit, scientia non sine constantia: maneant illi semel placita, nec ulla in decretis ejus litura sit.* (De Vita Beata, C. VIII.).

undos &c. ? Quæ omnia abunde docent, ad mentis conditionem, in felicitate æstimanda (quam sic sola voluptas sensualis parere nequaquam valet) præcipue esse respiciendum. Ac alitur mentis delectatio non sensationibus tantum externis, sed locupletissimam ex interno quasi suo fundo in primis repetere licet. Veriæ investigatio atque contemplatio, cognitionisque suæ incrementa prospéra (*pabulum studii atque doctrinæ appellat Cicero*) k), boni atque honesti meditatio, voluptas ex officiis percepta caste integreque perfectis, ex salute, perfectione, beatitudine aliorum promota, uberrimam solidissimamque ei materiam præbent l). Virtus (quæ non modo a malis & erroribus arcet, sed

k) *De Senectute*, C. 49. Idemque alio loco: *Est, inquit, animorum, ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturæ: erigimur, elatiores fieri: videmur, humana despicimus, cogitantesque supera atque cœlestia, hæc nostra ut exigua & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum tum etiam occultissimarum, habet oblationem; si vero aliquid occurret, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.* (*Quæst. Acad. L. II. vel IV, qui Lucullus intertribitur, C. 41.*)

l) Inesse honestati naturalem pulcritudinem, veritatem, dignitatem, omnimodam secum confessionem, in quibus animus acquiescat, nemo negare potest. Quibus cum superioris auctoritas additur, vera inde obligationis vis exsurgit.

fed etiam via certissima ad summum bonum nos ducit) in primis fons ejus est perennis, maxime ea, quæ spe alitur alterius vitæ felicioris, conjuuctionem nobis cum summo bono promittentis propiorem, animum etiam adversus dolorum, nostra culpa non provocatorum, vim & acerbitatem valide muniens, eosque solatio efficaci allevans *m).* Unde patet, quam mancam & mendosam sibi forment de felicitate opinionem, qui ex sensuali tantum voluptate eam metiuntur, in primis si cum Epicuro, suisque asseclis, Providentiæ quoque Divinæ & alterius post fata vitæ eandem privant fulcimine. Quæ omnia sic disputata lucide ostendunt, ad notionem felicitatis explendam (quæ statum involvit hominis dominante & perennante gaudentis tranquillitate atque oblectatione) duo in genere momenta pertinere, ut & verorum ad sit copia bonorum (malorum molestias vel excludens vel longe superans), & ut illa bona homo rite cognoscat, non ex aliorum pendens opinione, sed suo fidere judicio valens. Cujusmodi studium felicitatis, rationis simul imperio subjectum, ab Auctore naturæ nostræ, nobis inditum, ut tanquam calcar nos ad officia nostra per agen-

m) Sine qua Ipse, & vera nostri naturæque nostræ æstimatione (cum omnibus quæ ad honestatem ac virtutem illa exhibet incitamentis) evanescit, & tota vita humana non nisi vani instar & brevis somnii obvenire homini potest, quin cogitare didicit.

agenda, dotes nostras perficiendas, & consilium existentiae nostrae promovendum impelleret, adeo non est calumniandum, ut potius omni qua fieri potest diligentia excitandum sit, collustrandum & dirigendum: unde ipsam virtutem vir doctus non male asserit non esse nisi habitum (facultatem promatam) veram suam felicitatem promovendi. De felicitate itaque vera (imperfecte licet in hac vita, sed plenius constantiusque in futura) obtainenda desperare, aut adeo spe ejus hominibus omnino interdicere, est & Religionis præceptis & experientiae fidei, & voci naturae repugnare, bellum humanitati indicere, incitamenta potentissima sufflaminare virtutis: quæ jactura, pompa phrasium magnificarum & inanium subtilitatum argutiarumque *n*) umbris intendendis, resarciri haud potest.

n) Quas ita tenuare student, ut plana incorruptaque rationes assequi tandem haud valeat, sed per voces tantum formulasque, de industria in hunc usum inventas, inculcari, retineri, propagarique debeant.

